



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiae Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De quatuor secundis fructibus gloriæ, qui glorificato corpori adscribuntur,
quæ sunt Luciditas, Impaßibilitas, Subtilitas, & Agilitas. Cap. LVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

282.
 Tranquil-
 litas. tus animæ fructus est Tranquillitas, quam anima consequetur ex tri-
 bus prædictis. Nam videndo Dei pulchritudinem, & eorum, quæ in eo
 videbuntur, ac eum possidendo cum omnibus quæ in eo sunt, & hoc
 cum summa suauitate & consummata charitate, tanta in Deo tran-
 quillitate & pace requiescit tota anima, quanta erunt tria præceden-
 tia. Et hæc est pax, quæ exuperat omnem sensum, vt dicat anima fidelis
 Philip. 4. *In pace in idipsum, id est, in pace, æternitatis, quæ pax est in idipsum, id est,*
 Psal. 4. *immutabilis & inenarrabilis, dormiam in præsentis per spem, & requi-*
escam, id est, perfecte quiescam in futuro. Pax enim præsentis temporis
 Isaia. 32. *non est in idipsum, quia sæpe immutatur & variatur, sed in futuro, vt*
dicat Isaia: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in taberna-
culis fiducia, & in requie opulenti.

*De quatuor secundis fructibus gloriæ, qui glorificato corpori adscri-
 buntur, quæ sunt Luciditas, Impassibilitas, Subtilitas, &
 Agilitas. Cap. LVI.*

Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Inue-
 stigamus, ait Gregorius, quæ sit in Beatis festiuitas visionis Dei,
 quæ lætitia sine defectu, quis ardor amoris non crucians, sed
 delectans, quantum in eis desiderium sit, visionis Dei cum satietate, &
 satietas cum desiderio, in quibus nec desiderium pœnam, nec satietas
 fastidium parit, quomodo inhaerendo beatitudini sint beati, quomo-
 do contemplando semper æternitatem sint æterni, quomodo coniun-
 cti semper vero lumini facti sint lux quædam. Nam illa visio Dei tan-
 ta pulchritudinis erit, tantoque amore dignissima, vt sine hac quibus-
 libet bonis præditum, ac abundantem, non dubitet Plotinus Philoso-
 phus, infelicissimum dicere. Fugiendum est, inquit Plotinus, ad illam
 præclarissimam patriam, & ibi patebunt tibi omnia, vbi Deus erit
 omnia in omnibus. Quid enim est, quod per Prophetam dicitur: Ego ero
 illis Deus, nisi ego ero illis vnde satientur? & quæcunque ab omnibus
 honestè desiderantur, vita, salus, virtus, victus, copia, gloria, honor,
 pax, satietas, & omnia bona. Sic etiam intelligitur quod erit Deus
 omnia in omnibus, quia finis erit omnium desideriorum nostrorum,
 qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione lau-
 dabitur: hoc munus, hic affectus, hic actus erit omnibus sicut æterna
 vita communis. O Deus magne, mirabilis, & amabilis? Qui erunt
 oculi illi, qui te videbunt? quàm sani, quàm decori, quàm valentes
 & con-

1. Cor. 13.
 Ezech. 37.

& constantes, quam sereni & beati. Deus enim præclarissimè contem-
plabitur, in plenitudine diuinæ lucis; dulcissimè amabitur, in latitu-
dine charitatis; & securissimè possidebitur, in continuatione perpe-
tue hereditatis. Verùm, illud summum bonum, quod purgatissimis
mentibus cernitur, à quibusdam cerni comprehendique non potest,
quia humana mentis acies inualida in tam excellenti luce non figitur,
nisi prius per fidei iustitiã enutrita vegetetur. Præmissis igitur de qua-
tuor gloriæ fructibus, ipsam animam concernentibus; iam prosequen-
dum est de quatuor fructibus, qui cõcernunt ipsum corpus, & vocan-
tur dotes corporis, sicut iam dictum est de tribus dotibus animæ, qui-
bus anima vnitur Deo, sicut sponsa sponso: cuius gloria redundabit in
corpus, præcipuè quò ad quatuor dotes, quas tangit Apostolus ad Co-
rinth. dicens: *Seminatur*, scilicet corpus, *in corruptione*, id est, concipi-
tur corruptibile, vel sepelitur, & in terrã proijcitur vt corumpatur,
surgit in incorruptione, id est, incorruptibile & immortale per impassi-
bilitatem. *Seminatur*, id est, concipitur, vel sepelitur, *in ignobilitate*, id
est, sine honore, imò cū multa vilitate, *surgit in gloria*, id est, gloriosum
& clarum dote claritatis. *Seminatur*, id est, concipitur, *in infirmitate*, id
est, fragilitate patiedi, vel sepelitur in impotentiã se mouendi, *surgit in
virtute se mouendi*, quasi in ictu oculi per dotem agilitatis. *Seminatur*,
id est concipitur & sepelitur, *corpus animale*, id est, subtile, simile spiri-
tui in aliquibus proprietatibus. Primus ergo fructus est luciditas vel
claritas, quæ à luce vel lumine sumit originẽ. Nam sicut lux diuina,
& Dei sapientia dilectã animã ineffabili claritate illustrabit, sic animæ
lux in luciditatem corporis redundabit. Quia beatitudo non est cor-
porum, sed ab animabus in corpora redundabit. Pro quo notandum,
quòd claritas quædã corporis causabitur ex redundantiã gloriæ ipsius
animæ in corpus: sic in corpore glorioso cognoscetur animæ glo-
ria, sicut in vitro cognoscitur color infusi liquoris. Et secundum
quod anima erit maioris claritatis secundum maius meritum, sic eti-
am erit differentia claritatis in corpore, secundum illud 1. Corinth. 1. Cor. 15.
*Alia est claritas solis, alia claritas lune, & alia claritas stellarum. Ste-
lla autem differet à stella in claritate: & sic resurrectio mortuorum erit,*
quia alia erit claritas Christi, alia beatæ Virginis, & alia cæterorum
Beatorum, qui different in claritate tam corporis quàm animæ. Vn-
de tunc, vt dicitur apud Isaiam, *erit lux luna sicut lux solis, & lux
solis septemplexiter*. Et tunc non erit alcubi nox super terram, sed
solum

solū in centro terra, quia tunc fiet remuneratio omnibus corporibus caelestibus, & etiam elementis in primum humanae seruitutis, ita quod Deus totam machinam creatam hominis amore faciet pulchriorem. Et quia propter hominem omnia praemiabuntur, ideo secundum eam proprietatem praemiabuntur, secundum quam gloriosius corporibus consona redduntur. Hoc autem est lux, & ideo in luce & splendore augebuntur. Corpora verò Beatorum, secundum Thomā, tunc septies magis sole lucebunt, quamuis hoc non sit aliqua auctoritate vel ratione probatum: quamuis tunc *erit lux luna sicut lux solis, & lux solis septemplexiter, sicut lux septem dierum*. Et quia quod in aliquo non recipitur per modum influentis, sed modum recipientis, ideo claritas, quae est in anima spiritualis, in corpore recipitur ut corporalis, non tamen erunt eiusdem speciei lux elementaris & lux gloriosi corporis, sed lux elementaris sicut & solaris erit illius quaedam imitatio. Erit etiam, secundum Scotum, in corporibus glorificatis color gratissimus secundum ultimam perfectionem suis complexionibus convenientem, ut magis in eis sensus visus delectetur. Secundus fructus est Impassibilitas quam anima consequitur ex tentione fructiva possessione impassibilis Dei. Sic enim *ab ubertate domus Dei inebriabitur, & torrente voluptatis eius potabuntur, immerfi medullitius ineffabili quadam dulcedine, quod ex nulla parte patebit accessus passibilitati, etiam si in inferno ponerentur*. Vnde dicit August. ad Diosco. Tam potenter fecit Deus animam, ut eius plena felicitate redundet in corpus sanitas perpetua; ita quod corpus gloriosum a nullo exteriori agente valebit immutari. Vnde dicit Esdras: *Gaudium Domini est spiritus nostrus*. Hoc est, ab ubertate diuinæ gloriæ redundat impassibilitas nostra à Deo in mentē, & à mente in corpus nostrum. Impassibilis enim Deus animam tenentem & possidentem reddit impassibilem: & ex illa corpus erit impassibile. Tertius fructus est Subtilitas, quia resurget corpus spirituale. Spiritualia verò sunt corporum cuiuscunque spiritus spiritualis vel soliditatis penetratiua, quia sunt impassibilia, secundum quod sunt instrumenta animæ gloriosæ, sic quod eis nullum corpus nō gloriosum resistere possit, cum tamen corpus gloriosum cuilibet corpori non glorioso resistere possit. Erit enim corpus gloriosum subtile & impalpabile per effectum spiritualis potentiae, sed palpabile per virtutem naturæ. Vnde per virtutem beatitudinis ipsius animæ, tanta magnitudo virtutis actiuae tunc erit in gloriosis corporibus, quod per eam multo

Impassibilis.

Psal 35.

2. Esdræ 3.

Subtilitas.

multo efficacius quæcunque corpora penetrare poterunt, quam aer vel ignis: nimirum cum secundum Anselmum, quilibet Beatus erit tam fortis, quod etiam si velit, totam terram mole comouere possit. Quartus fructus est Agilitas. Ex qua enim spiritus ex tribus animæ glori-
 osæ dotibus erit ad tendendum in Deum promptissimus, ideo corpori suo, quod omnem inclinationem suam habebit ad animam beatificantein, communicabit eandem agilitatem, ita quod poterit tam velociter corpus suum mouere, sicut seipsam sine corpore. Dicit enim Augustin. quod ubicunque erit voluntas, ibi statim erit & corpus. Unde licet corpus gloriosum mouetur, in tempore, tamen in tempore imperceptibili propter breuitatem. Corpus enim glorificatum per omnia subiectum erit animæ gloriificatæ, non solum vt nihil in eo, quod resistat voluntati spiritus, sed etiam vt in eo sit aliqua perfectio effluens ab anima gloriificata in corpus, per quam habile redditur ad omnimodam subiectionem: quæ perfectio dos gloriificati corporis dicitur. Anima autem corpori coniungitur, non solum vt forma, sed etiam vt motor: & ideo utroque modo oportet vt corpus gloriosum animæ gloriificatæ sit summè subiectum. Primo modo per dotem subiectionis. Secundo per dotem agilitatis. Et quia corpus gloriosum totam existentiam suam & nobilitatis & subiectionis rationem trahit ab anima, ideo eius inclinatio sola est ad animam. Et quia agilitas sequitur inclinationem, ideo quam potens anima fuerit ad impetrandum, tam potens erit corpus ad exequendum.

De duobus primis fructibus gloriæ, tam animam, quam corpus concernentibus, quæ sunt ineffabilis nouitas, & amabile societas. Cap. LVII.

Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis. Iam denique de quatuor vltimis fructibus tam animam quam corpus concernentibus prosequamur: quorum primus dicitur Nouitas, scilicet in reparatione vniuersi. Gaudebunt enim Beati, quia specula, quibus in præsentia vita vsi sunt ad cognoscendum Deum, videbunt reformata & decorata in admirabilem pulchritudinem, & quodammodo beatorum corporibus conformata, scilicet, solem, lunam, stellas & elementa, quæ sua specie & decore manifestant sapientiam facientis & gubernantis: à quorum magnitudine & pulchritudine cognoscibiliter potest eorum Creator videri: Vnde verisimile est, secundum